

tia, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, nempe, ut *Tertullianus* olim explicabat, *secundum plura interpretanda sunt pauciora*, hoc est, secundum Scripturas Propheticas, immò & Apostolicas (namq; utræq; extiterunt isto Bernhardini sæculo) fingendæ sunt Ethopœiæ Patrum, sive in Limbo isti fuisse statuuntur, quod tamen pauci admodum credunt, sive extra Limbum, quod & Scriptura divina & fides amplectitur orthodoxa. Verùm poterit sese tueri, ne admittere cogatur aliquam Prolepsin, noster iste Ethopoëta, nondum fuisse aut *Paulum* aut *Petrum* (nisi forsan & ipsi in limbo quodam Pythagorico μετενσωματωθησόμενοι latitaverint) ideoq; in probabili vixisse ignorantia & *Siracidem* & totum illum anhelantium Limbicularum chorum. Hoc valdè miror, quòd nulla adeò ratio habita fuerit aut *Virgilii*, qui tamen *magnum sacrorum ordinem* & *longos nobis menses* in Bucolicis vaticinatus est (quamquam ipsa inter primordia, in cunis, cum *Salonino* infante, quum jam prope esset, ut cum catellis hic pufio pupillam nono die stringeret, expiraverit ista prophetia); aut Sibyllarum quæ paullò abfuit quin perfecto numero alias prophetias decimarent, namq; per ista *officiosa mendacia*, uti appellitat *Isaacus Casaubonus*, felicius forsan decepti fuissent mortales. Sed desino, nec *Gabrielis*, qui Archangelus tamen est, λογισμὸν examino.

Nobis per DEI ineffabilem gratiam hodie licet esse securis, quicquid tandem vel Adam ipse Noachus vel Moyfes vel Elias pro corporando CHRISTO sollicitaverint, scientibus quòd *Deus adeò dilexerit omnes homines in hoc mundo, ut in eum miserit Filium suum unigenitum*, qui carne nostrâ tectus infinitis sese laboribus atq; ærumnis exposuit, immò nec acerbissimam atq; deterrimam mortem crucis exhorruit aut detrectavit, quò sudore ac sanguine suo à nobis durissimum æternæ damnationis jugum depelleret. Modò enim verà in illum fide nitamur, nunquam, ne per mortem quidem hanc, peribimus, sed vitam æternam habebimus, eam enim